

Heinrich Lemke

Oratio De Peste : Carmine heroico scripta Et In almae Academia Rostochiensi, In Auditorio maiori, a. d. 20. Augusti Anno 1624. Publice recitata

Rostochii: Pedanus, 1624

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730544184>

Druck Freier  Zugang





~~M. 1149.~~ #6.

V. 616.

ORATIO
DE PESTE

Carmine heroico scripta

ET

In alma Academia ROSTOCHIENSI,

In Auditorio majori,

a. d. 20. Augusti Anno 1624.

Publicè recitata

ab

HENRICO LEMMICHIO
LUBECENSI.



ROSTOCHII

Typis Joachimi Pedani, Acad. Typog.

Anno M. DC. XXIV.

*Amplissimis, Spectatissimis, pietate, virtute, &
eruditione praestantissimis Viris,*

DN. HENRICO VVEDEMHOVIO,
Senatori digniss.

DN. PAULO VVIBKINGIO,

DN. ALBERTO SCHILLINGIO,
Primarij inclutæ Lubecensium Reipub. Patricijs,

**Dominis & fautoribus meis omni observantiæ genere
honorandis: Suscipiendis.**

S. D.

P Restantes Doctiq; viri, Dominiq; colendi,
Hoc, mea quod tenero deduxit carmine Musæ
De pestis causis serua, ac affectibus ejus,
Et quo tollatur vario medicamine pestis,
Vobis, ut par est, tribuo, propriumq; dicabo.
Quos Ego fautores queso, hæc ut dona Minerva
Incalta, pietate, & miti fronte capebant.
Munera non auri, placita nec magna moneta,
Quorum sat propria vos estis sorte beati,
Nostræ opis est dare, sed tantum modulata Camena
Carmine quod tenui, sola est opulentia nostra.
His salvete viri eximij Dominiq; colendi,
Vobis opto meis votis felicia cuncta,
Qua Deus omnipotens jubeat rata, firma veliq;.

HENRICUS LEMMICHIVS
Phil. & S. S. Theol.
Studiofus.





Quatuor esse Pœnarum genera,
quibus genus humanum præcipuè affligi
solet, bellum, famem, bestiam malam
& pestem, Sacra Pandectæ nos docent:
quas pœnas Ezechiel, vates Babylonius,
c. 14, quatuor judicia Dei mala; Moyses
vir Dei, Deut. 32, 23, sagittas; vulgus fla-
gella Dei appellat. His judicijs, his fla-
gellis, si non omnibus, pluribus tamen,
quædam, quæ nomina quinq;, sex, & septem litterarum; ut sunt
λ, μ, ρ, σ, τ, φ, ψ, & Graeci dicuntur, Christianum fore to-
tum orbem consistitari, hæc tempora testantur. Quo enim belli cala-
mitas non pervenit? quas regiones non afflixit? quas non etiamnum
affligit? quas ut affligat, non est pertimescendum? Lamentatur ejus
tyrannidem Moravia: deplorat Silesia: egrè fert Ungaria, Polonia,
Thracia. Ejus malis ingemit Bohemus, Saxo, Lusitanus, Palatinus,
Hassus, Noricus, Suevus, Helveticus, Belga, Westphalus, Visurgis accola,
uterg, Austriacus, & quis tandem non? Fames verò tristissima & jam
quasdam gentes duro sub pondere pressit, & in futurum tempus nobis
exitium, aut certe macilentum os, adductamq; minitatur inedia cu-
rem. Bestiam malam quidem Deus hæcenus nobis non immisit: nisi
fontè quis illà longè nocentiores crudelioresq; judicet sacerrimos Je-
suitas, totumq; rasarum prostibulum. At pestis nonne cum ad alios,
tum ad nos quoq;, ita invisit, ut magno quasi conatu sua jacula, suasq;
veneno tinctas sagittas vibret? In cujus (ut de ea nunc tantum loqua-
mur) auctore constituendo non modo veteres olim Ethnici gravem erro-
rem errarunt, sed & Pontificij insigniter hallucinantur, dum hi Pestem
& alias calamitates, Evangelio, quod nos per Dei gratiam purum in-
contaminatumq; profitemur, expensum ferunt. Deus enim, Dominus
ille vitæ & necis, in genus humanum immittit Pestem: quod nobis o-

minò dicendum est, nisi tot testimonijs, quæ exstant Ex. 5, 3. & c. 9, 15.
2. Sam. 24, 15. Jerem 14, 12. c. 21. 6. & c. 24, 10. Psal. 78, 50. & alijs fi-
dem sacrilegè & blasphemè abrogare malimus. Nec verò ex absoluto
decreto immittit. Movetur justissima & æterna Mens peccatis atq; sce-
leribus hominum: Inobedientia & obstinato animo Pharaonis: Ex. 9,
10. & 15: Incredulitate Israelitarum Num. 14, 12: Contemptu verbi Dei,
Levit. 26, 25. Deut. 28, 21. Jer. 27, 8: Superbia Davidis, 2. Sam. 24,
& 1. Paral. 21: Idololatria, Jer. 13 & 21, 6. Ezech. 5, 11. & 12. c. 6, 11.
& 13. & cap. 14, 19: Abusu cœnæ Domini, 1. Cor. 11, 30, & alijs peccatis.
Utitur autem Deus ad importandam pestem ministerio tum naturæ, tum
Angelorum. Unde duo genera pestis existunt, unum Physicum, alterum
Hyperphysicum, ut verbo minus proprio utar. Illud vocant, quod Deus
per causas Physicas administrat: oririq; ajunt, vel à vi cœlesti, hoc est,
ex infaustis constellationibus, præsertim ex Saturni, Martis, & Jovis
conjunctiōe in aliquo signo humido, quod genus sunt Gemini, Virgo,
Aquarius, itemq; ex frequentibus luminarium Eclipsibus, hancq; pestem
Universalem indigetant: vel in regione Elementorum ex vapore exitia-
li, qui per terræ motum erumpit; ex cadaverum inbuma orum multa
putredine, ex stagnorum paludum, cloacarum, fimetorum fetore, ex
Austrorum crebris statibus, quam pestem nominant Particularem. Cum
enim utrobq; aeris corruptio existat, corporum quoq; corruptionem se-
qui autumant. Nec tamen ullum dubium est, quin Deus ut auctor,
sic & Dominus naturæ universæ, hujus vim, quoties visum fuerit, vel
restringat atq; cobibeat, vel incitet atq; acuat: sicq; hæc ipsa, licet se-
ita habeant, nutu ac potentia sua regat & gubernet. Hyperphysi-
cum Pestis genus est; quod Deus per Angelos administrat, ut testantur
exempla & testimonia descripta 2. Sam: 24, 16. Apocal. 16, 1: Job. 2, 7.
Psal. 78, 50. Et memorabile est, quod scribit Sigebertus in Chronicis,
Constantino imperante circa annum Christi 674. pestilentiam gravissi-
mam grassatam esse: cunctisq; visibiliter apparuisse bonum & malum
Angelum noctu civitatem circumire, & quoties jussu boni Angeli ma-
lus Angelus venabulo, quod manu ferre visus fuit, ostium cujusq; do-
mus percussisset, tot ex eadem domo interiisse sequenti die. Quò &
illud referendum procul dubio est, quod in Babylonis regione, in urbe
Seleucia, dominante M. Antonino, contigisse narrat Fulgosius: in tem-
plo Apollinis fractâ capsula aurea, aviditate quorundam Avidij Casij
mili-

militum, egressum esse pestilentem spiritum, qui totam eam regionem
 peste vastavit: vimq; ejus Romam usq; atq; in totum orbem se extendisse.
 Et, quod Æschines epist. 1. ad Philocr. refert, Deliensis peste teterrima
 punitus ab Apolline, quod vir quidam illustris contra morem veterem
 in Insula sepultus fuisset. Et, quod Dictys Cretensis narrat lib. 1. de bello
 Trojano, Et Hom. 1. Iliad., pestem advenisse exercitui Græcorum, quod
 Agamemnon in luco Diana capram transfixisset. Et, quod fertur a Phi-
 lostrato lib. 4. de vita Apollon: Ephefi dæmonicum quoddam spectrum
 disseminasse pestem, idq; in forma Et specie senis mendici per amgestan-
 tis: paniceis frustis referiam, laceram Et sordidam vestem gerentis:
 quem Apollonius Thyaneus ad expiandam civitatem cum detexisset, jus-
 serit lapidibus obrui: Et sublatis deinde lapidum acervis inventum esse
 canem molossium: magnitudinē tanta, quanta maximi Leones esse so-
 lent, quas rabidi canis spumam emittentem. Pellantur ergo è medio
 rum Hypocrita, qui, caussis secundis sublatis, omnia in Deum referunt:
 tum Stoici, qui Deum caussarum secundarum legibus catenæq; Høme-
 rica adstringunt atq; alligant: tum Epicuræ, qui, Dijs suis ad inter-
 mundia, ut ibi otiosè degant, relegatis, omnia casu Et temerè fieri su-
 renter nugantur. Sunt autem horrendarum Pestium exempla
 perplura in promptu. Seditiosis Cora Darban Et Abiran, debiciente ter-
 ra, in infernum precipitatis, cum Israelita fremerent, paulo temporis
 momento quatuordecim millia virorum Et septingenti consumti sunt
 clade divinitus immissa. Cum David populum numerasset: peste in-
 terfecti ceciderunt septuaginta millia virorum. Et quàm dira, quàmq;
 truculenta fuit pestis Attica? Sic urbem Romam sæpe hæc Lues gra-
 vissimè afflixit, a. V. C. 248, Et 261, Et 290, Et 300, Et 317, Et 320, Et 341,
 Et 361, Et 388. ut alias temporum notationes omittam. Commodò do-
 minante Romæ pestis sæpe uno die 2000 hominum absumpsit, referentè
 Xiphilino. Sub Maximini imperio, post famem gravissimam, Pestis
 in singulas domos sævijt, eos præsertim absumens, quos propter alimen-
 torum copiam fames absumere nequiverat, teste Eusebio: Anno Chri-
 sti 1316. pestis magna pervagata est totum mundum: Et anno 16 post,
 cum iterum pestis per universum orbem cum magna terrarum vastatio-
 ne grassata esset, Venetias etiam, Egnatio auctore, invasi, ibiq; sic sæ-
 vijt, ut vix centissimus evaderet. ex quo factum memorat idem, ut la-
 tu lege tum promulgaretur, ut quicunq; Venetias per id tempus migra-

ret, bienniumq; perseveraret, civis Venetus haberetur. Cetera de ge-
nere hac (adeo sunt multa) loquacem Delassare valent Fabium.
Est ergo, verè judicium Dei malum, & flagellum Pestis. Etsi autem
hac, quæ nos hoc tempore urget, collata ad illas, quas recensuimus,
est planè ludicra: id quod soli Deo acceptum est ferendum; cui nec di-
gnas gratias, licet omnia membra nostra lingue essent, pro tam clemen-
ti paternog; in nos animo, agere possumus, utq; nobiscum paternè agat,
eundem supplicibus votis humilimo imploramus: per se tamen Pestis
est res plena solliciti timoris. Mare tranquillum sæpius inexpectata
tempestat tantis fluctibus, tantog; furore mistet percurbatq;, ut ponto
nox incubet atra, presentemq; viris intentent omnia mortem: quanto
verò id magis metuendum est in mari jam aliquatenus excicato? Quod
si accidat, ut nubeculà presagiente propinquam pelagi commotionem,
monenti nauclero & imperanti, ut quisq; suo loco officium suum faciant,
tempestivè acatium minuant, carthesij velum convolvant, siparij dolo-
nisq; rationem agant, ceteraq; omnia, quibus mari spumante incolumi-
tati navis prospici possit, ea parata atq; expedita habeant: Si, inquam,
na varcho talia monenti nemo ex nautis & epibatis obtemperet: nonnè
putabimus, & navem, & mercem, & quosquot ea vehuntur, in pre-
sentissimum discrimen conjectum iri? Commotum est & hoc mare no-
strum: fecit pestis initium rapiendi nostros: paulatim pedetentimq;
progreditur, sed paucissimos adhuc infestat; verumenimverò quis sibi
non metueret ab ira Dei, quæ levi momento turbinem inopinum secu-
ris nobis immittere potest? quod quidem tantò facilius factu est, quan-
tò pertinacius quidam saluberrimis remedijs, quæ provida, pia & sa-
piens æternisq; laudibus deprecanda eorum, quibus Respub. divinitus
commissa est, cura prescribit, summo cum supercilio adversantur seseq;
illis virulenter opponunt: de quibus quid aliud sit sentiendum, non vi-
deo, quàm quod de everfore sui regni Poeta quondam reliquit: Quid
Paris? ut salvus regnet, vivatq; beatus, cogi posse negat. Quid
verò nobis in hoc precipitio positis faciendum sit, queres fortè. Pri-
mum certi sumus, Deum utrumq; genus Pestis ita administrare, ut ne-
mo hominum fortuito & sine voluntate ejus corripatur ulla lue. Ipse
enim tempus determinavit cuilibet homini super terram, desinivitq;
dies & numerum mensum ejus, & terminos posuit, quos non preteri-
bit, Job. 14, 5. imò capillos capitis nostri numeravit ipse, Matth. 10, 30.

Ipse

Ipsè populo suo decem plagas, atq; adeo pestem Ægyptiorum defendit
Exodi 7. 8. & 9. Ipsè inter millies millena hominum hinc inde luc
cadentium prestat tutos quos in tutelam & custodiam suam suscepit,
Psal 91. Ipsè serandos signat, signatisq; parcit, Ezech. 9, 4. Apoc. 7, 3.
Hac igitur certa fiducia nos erigamus, nec animum demittamus, nec
cum Deo gigantum more pugnemus. Deinde perpendendum est, in
quem finem Deus genus humanum hac luc affligat: in quo ipso discrimen
est piorum & impiorum. Etenim pios affligit Deus, ut emendet eos
hoc flagello & ad pœnitentiam revocet, ne cum mundo damnentur,
1. Corinth. 11, 32: *cujus temporis exemplum est in Davide 2. Sam. 24:*
vel, ut probet atq; exerceat cum fidem eorum erga Deum, tum chari-
tatem erga proximum: *cujus dominicis exempla sunt in Ezechia,*
2. Reg. 20, & in Jobo cap. 2. *Impios vexat, ut ad pœnitentiam*
vocet: vel, si desperata sit impietas, ut perdat atque destruat, cum
hic, tum in futuro seculo. Sed & de curatione tanti mali nobis est
cogitandum. Medici cum alia multiplicia remedia prescribunt, que
ab ipsis peti possunt, tum inprimis multum momenti esse ajunt in tri-
bus illis adverbij, cito, longè, tardè. Verum an fuga omnibus
competat, rectè quaritur. Nec secessionem ex eo loco, quem pestis
invasit, omnibus convenire: omnino statuendum videtur. Nam
qui sine Ecclesia & Reip. incommodis, & salva proximi charitate
abesse possunt, his quidem fuga remedium concessum, quis neget?
Quos verò aut publici muneris sive Ecclesiastici, sive Politici, aut Chri-
stiane charitatis ratio jubet manere, eis fuga remedium, & tria illa me-
dicorum adverbia minime conveniunt. Nunquam enim aut vocatio
nostra deferenda, aut charitas proximi violanda est: de qua re gra-
vissima commonesactiones exstant Joan. 10, 11. Rom. 13, 4. Matth 25, 42.
1. Joan. 3, 15, & 17. Itaq; cum fugiunt illi, magno malo fugiunt. Ve-
rum & hic queritur, num Physica remedia, à Medicis prescripta, ad-
biberi debeant. Et ritè adbiberi debere, nemo sanus inficiabitur. Ser-
vare quidem Deus noster sine medijs potest, & sepè servat: tamen legi-
timis medijs, si fieri potest, omnes uti vult, sicut cibo & potu. Sed
cavendum, ne medijs & Medicis plus, quam Deo fidamus, sicut Asa
fecit 2. Par. 16, 2. Presentissima enim & omnium prima Medicina apud
Deum quarèda est in vera pœnitentia, & fide, in serijs precibus, sobrietate,
modè

modestia, diligentia in omnibus pijs officijs, in patientia & alijs virtutum exercitijs. Sic obedientia Israelitarum erga Deum Exo. 15, 26, Deprecatio & sacrificium Davidus, 2. Sam. 24, 13. Penitentia & deprecatio Israelitarum 2. Par. 7, 13. Oratio & lacruma Ezechie 2. Reg. 20, 3: Fides & preces piorum Psal. 91. pestilentiam avertunt. Quod magis detestanda est Rase cohortis impietas, Sebastianum & Rochum ad arcendam Pestem deprecantium. Legitimis autem remedijs qui utuntur, ij eventum commendent Deo, qui habet claves vite & mortis: cui sit honor & gloria. Sed de Peste Orationem heroico carmine scripsit, ornatissimus & doctissimus juvenis, HENRICUS LEMMICHIVS LUBECENSIS, eamq; cum Heo, cras, h. 9, in Auditorio majore, recitabit. Ad quem benigne audiendum, Magnificum Dn. Rectorem, Reverendos, Consultissimos, Clarissimos, amplissimos, doctissimosq; omnium ordinum Dominos Professores, verbi Divini Ministros, Doctores & Magistros, nobilissimam item & ornatissimam studiosam juventutem, tum ut Deo pro clementi hactenus presidio gratias agamus, tum ut salutem quisq; nostram & totius Christiani orbis Jehovae serio commendemus, officiose & amice invito. P. P. Rostochia, d. 20. August. Anno 1624.

Joannes Simonius,
Rhetorices P. P.



Non



Non ego nunc incensa Rubi, nec
perdita, tesqua,
Exequar, immisso quæ vidit nu-
mine Moïes:

Non cantabo virum, Syriæ qui primus in
oris

Mille viros letho maxillæ misit ab ictu:
Nec, quem cura Dei in Libani radicibus
hortum (bis:

Condidit ornatum plantis, & suauibus her-
Non Abrahæ, aut Josuæ, vel prælia magna
Davidis

Hinc canere incipiam, quæ sunt dignissima
Phœbo:

Nec vero aut Troiæ lacrumosa reponere
bella, (partes,

Aut triplices terræ mens est percurrere
Aut orbem errantis Lunæ, Solisve labores:
Sunt hæc ingenij divini munera, quod nec
Agnosco, sunt hæc facundæ encomia lin-
guæ.

B

Me

Me præfens monet infirmum, & lacruma-
bile tempus,

Quo truculenta lues & sævo infecta veneno,
Quæ cunctis plus plusq; locis impendet, &
urget

Mortales miseros; de Peste ut Verba, Mi-
nerva

Quantùm nostra feret, faciam, sed carmine
paucò.

Magnifice ô Rector, claro præfekte Lyceo,
Et vos ô sacri, quibus est commissa juvenæ
Cura viri, summi pendentes mystica Regis.
Et vos Doctores, Medicæ, Eunomiæ, So-
phixq;

Deniq; tu longe nivea, & spectata juvenus,
Quælo favete mihi, studijsq; favete tenellis,
Et faciles aures, animosq; advertite Musæ.
Si quærat quis, Pandoræ cur pixide fracta
Morbi, bella, fames toto dominantur in
orbe,

Et dāno cunctos Epimetheas usq; flagellēt,
Audiet hoc ex me: quod homo sit causa
malorum,

Qui procul à vero semotus tramite recti

Errat

Errat iners, peccata lubens mala plurima
patrans,

Et sibi peccandi finem non expetit ullum,
Sed veluti immundus Sus sese crimine
spurcat,

Et scelerum cumulat densa farragine molē.
Invidus est, cuius livent rubigine dentes,
Pectora felle virent, lingua est suffusa ve-
neno:

Nunc fædo vigilis morbo jactatur avari,
Ut Tartesiæcis illum haud satiaret arenis
Tempestas pretiosa Tagi, non stagna ru-
bentis

Aurea Pactoli, prædæ sic deditus auri est:
Quot nam mortales (dolor heu) numeran-
tur amici

Virtutis, cui de placido moderamine no-
men?

Vix numero invenias totidem, sic autumo,
quot sunt

Thebarum portæ, vel divitis hostia Nili.

Quanto autem numero passim loca
cuncta pererrant, (tris
Ebrietas queis fida comes; quos luxus & a-

B 2

Cir-

Circū urget volitāns infamia tetrica pēnis?
Cætera de genere hoc adeo sunt multa, ut
eorum

Siquis millenam cupiat describere partem,
Deficerent horæ atq; dies, & mensis, &
Annus.

His vitijis quia tota scatet Germania passim,
Proinde Deus rerum summus sator, & su-
perum rex:

Immisit bellum, atq; famem, pestemq; ne-
cemq;.

Et quæ sunt ignota novi contagia morbi,
Morbi, qui humanæ nulla māsuescat opis vi.
Inclyta Germana, & dulcis nutricula gentis:
(Vah! deplorandum!) quæ dura, & tristia
bella

Vidit? quos sparfos dominorum cæde pe-
nates? (gna?

Oppidaq; incensasq; urbes, subversa; re-
Et templa, & raptis temerata altaria sacris?
Nonne vides, quam dira fames nunc re-
gnet ubiq;?

Et quā pauperies onus intolerabile multos
Prægravet, & miseros rerum penuria vexet?
Nonne:

Nonne vides, Peētis quā, stragem latius
edens, (tho,

Dansa catervatim misero rapit agmina le-
Non tantum interimit cives, sed tabe co-
lonos;

Cædit; sic intra, sic sævit moenia circum.

O miseram sortem, quam nunc sortita
Rhodante es!

Qui fuerant juvenum lectorū millia, docti
Excessere omnes, remanet vix unus, & alter.
Sic hic foeda lues æstu incandescit atroci.

Scilicet hæc quondam fuit illa corona ce-
lebris. (bas,

Nomine digna tuo, qua æqualibus antesta-
Jam laceras miseranda comas, passisq; ca-
pillis,

Ac si esses prostrata, jaces, vicinaq; morti.

Quid causæ est, cur sic jaceas Academia
sancta? (est

Quid causæ? dixi causam, qua tristior haud
Ulla: rues causa est, perimens juvenesq;,
Senesq;.

Cumq; viris socias: qua pæna haud tetrior:
ulla est.

B. 3.

Judi.

Judicio male sano hominū, fugitante ma-
lum istud

Pejus longè illo, visu qui conficit, angue.
Sed tamen & lugenda lues, miseranda que
res est.

(gnâ
Attica cui Pestis non nota est? corpora ma-
Quæ sic affecit flamma, ut putresceret unâ
Parte dolens, alia sed salva parte: Sitisq;
Urgeret cunctos; per multis passibus illam
Vincens, sub stygio perfert quam Tantalus
orbe.

Quod si quis rabiem hanc vicisset, scilicet
illum

Cunctarum rerum, ah! obliuio summa ma-
nebat.

Prætereo Pestem, Jessæi tempore vatis,
Quæ septena dedit decies millena virorum
In mortem, vix septem horis. Non; gra-
tia, Magne

Christe, tibi, tanta est hæc pestis: nulla ea
certe est,

Aut valde exigua est nostra hæc, si mente
prios

Quis reputet. Tibi sit Rex Regum, gratia
Christe! Sed

Sed nonne ingens ex cinere inflammatur
abortus

Sæpe ignis? qui tecta voret, fundosq; la-
resq;?

Hic metus & nostram hanc (sit inanis) per-
culit urbem.

Ecce puella, puer, carum flent fata parentum,
Ecce patres, matres sua dulcia pignora plo-
rant,

Quæ luc pestifera Lachesis prostravit ad
umbras.

Unde autem hæc clades, vel quo de fonte
requiras?

Unde hæc sæva lues patre quo, qua matre
profecta est?

Ut pater in terra justum tenet huncce te-
norem,

Gnato ut peccanti poenas infligat acerbas:

Sic pater astripotens, cæli, terræq; creator,

Punit commissæ scelerata piacula culpæ.

Actæ igitur nostræ meruerunt crimina vitæ,

Quodq; labes udo sævit sublapsa veneno,

Et furit haud secus, ac magno cum flamma

sonore

Virgea

Virgea fuggeritur costis undantis aheni,
Exultantq; æstu latices, furit intus aquai.
Fumidus atq; alte spumis exuberat amnis,
Nec jam se capit unda, volat vapor ater ad
auras.

Tu mihi, quæ rerum causas, quæ sydera
nosti,

Et cæli effectus varios, atq; aeris oras
Uranie (sic dum puro spatiaris olympos,
Metirisq; vagi lucentes ætheris ignes,
Concentu tibi divino cita sydera plaudant)
Ipsa ades, & mecum placidas Dea lude per-
umbras, (nenti

Dum tenues auræ, dum myrtea sylva ca-
Aspirat, resonetq; cavis mihi Varnus in an-
tris. (nobis

Dic Dea, quæ Physicæ causæ isto tempore
Insolitam peperere luem hanc, & tuste
venenum?

Commerci forsan causâ accessisse putan-
dum est, (ipsis

Delatam contagem ad nos, quæ parva sub
Principijs, mox & vires, & pabula sensim
Suscipiens, sese in terram diffuderit hæc?
Ut sæ-

Ut sæpe in stipulas cecidit quū forte favilla
De face, neglectam pastor quam liquit in
arvo, . (ranti

Illa quidem tenuis primum, similisq; mo-
Incedit, mox, ut paulatim increvit eundo
Tollitur, & victrix messem populatur, &
agros, (jactat,

Vicinumq; nemus, flammæq; sub æthere
Dat sonitū longè crepitans jovis avia sylva,
Et cælum latè circum, campi; relucet.
At vero si rite fidem observata merentur,
Non ita simpliciter censere aut credere, par
est, (Etiam

Esse peregrinam nobis transq; æquora ve-
Contagem: quoniam in primis ostendere
multos (ipsam

Possumus, attactu qui nullius hanc tamen
Sponte sua sensere luem, primiq; tulere
Hujus tam sævi atq; atrocis semina morbi.
Quin statuas, Pestis sæpè ortum existere in
ipso

Aere, qui terras circum diffunditur omnes:
Nempè is quando erit infectus: cū fla-
mina venti

C

Stri-

Stridentis, cum fulmina, cumque tonitrua
cessant,

Et cæli celsi cum est torrentissimus axis:
Quando videre licet vivos existere vermes:
Stercore de tetro, putorem cū sibi nacta est
Intempestivis ex imbribus humida tellus:
Si quoq; deficiat potusq;ibusq; salubris,
Qui recreant vires fessas, & corpora lassa:
Hinc pestes subeunt, hinc viscera discru-
ciantur, (tho:

Hinc violenta lues dat plurima corpora le-
Hæc etenim subito clades nova, pestilitalq;
Aut in aquas cadit, aut fruges perfidit in-
ipsas, (batus,

Aut alios hominum pastus, pecudumq; ci-
Aut etiam suspensa manet vis aere in ipso.
Hos igitur fontes, hæc fundamenta malorū,
Qui sanus vult esse, omni ratione caveto.

Dices, sunt plures causæ, quæ semina morbi
Portant, queis pestis tanquam de fonte re-
surgit, (Camæna:

Quis negat? & certe hoc non cantat nostra
Nam veluti in pratis ubi apes æstate serena
Floribus insidunt varijs, non quemque li-
quore. Pri-

Privant, nobilium populant sed germina
florum,

Nec tamen insuavem succum, sed dulcia
sumunt,

Ex quibus & ceras, & mella tenacia fingunt,
Sic quoq; quanquam Ego complures ex-
sistere causas que

Autumo, subq; manu plures habuiq;, scio-
Attamen instar apis primas hoc Carmine
libo.

Nunc etiam affectus pestis, nunc signa do-
cebo

Contagis miseræ, faciem si nosse juvabit.
Obtinet hoc primò miserandum hæc aspe-
ra pestis,

Hæc inimica lues, ut, si quem invaserit, ille
Deficiens animo, prostratis viribus, omne
Labascet corpus, diro jaceatq; veneno.

Tum dolor accedit capitis, tunc anxius an-
gor (rela:

Afsiduè comes, & gemitu commixta que-
Illi inimica dies, inimicaq; noctis imago,
Nulla Ceres illum, Bacchi nõ ulla juvabunt
Munera: non dulces epulæ, non copia rerũ,

C 2

Non

Non urbis, non ruris opes, non ulla volu-
ptas,

Quamvis sæpe amnes nitidos, jucundaque
tempe,

Et placidas summis quærat vel montibus
auras:

Illius & sudant fauces intrinsecus atro
Sanguine, septa coit mox ulceribus via vo-
cis: (ore,

Atq; animi interpret permanat lingua cru-
debilitata malis, motu gravis, aspera tactu:
Spiritus ore foras tetrum diffundit odorẽ,
Rancida quo perolent projecta cadavera
ritu.

Quemq; parũ læto lethi faber omine lecto
Affixit, nusquam revera confugit ille,
Ast illum alloquitur relevat qui corpora
morbis,

Sanas restituit qui vires arte medendi.
Consimili ratione ægroti exẽpla sequamur:
Omnes, quos morbus pestis Pandemiæ ad-
instat

Inficit, aut regum turres, Irive tenentes.
Obijcit hic aliquis: Pestis non inficit o-
mnes, Ve-

Verum hoc, non omnes; paries cum pro-
ximus ardet,

Nostra ad tecta volant magno cum turbine
flammæ. (candum

Principijs obstandum est, auxiliumq; vo-

Hoc ævo, subito ne toto incendia nido

Grassentur, vicina queant exurere tecta.

Sed quæ principijs ratio obstandi est in-
cunda? (sum.

Quæ ratio quæris? precibus molitor idip-

Si prece muniris, si præfers symbola Christi,

Ire potes vel contra armatos hostis inermis.

Vidi ego qui votis adversum sterneret ho-
stem, (sa;

Et vidi revocare precum vim fulmina mis-

Vota vel è coelo validas reducere vires

Possunt, si mortale genus vis deserit arcta.

Vix credi poterit, quum fors violentior ur-
get,

In precibus quænam castis medicamina
constent.

At Deus iratus? quid tum? prætendite

Christum, (mundi

Victima qui cæsa est sævo pro crimine

G 3

Per-

Perfacilis flecti Deus est, inflate, licet sit
Peccato impulsus dignam calefactus in irā.
Vidi terribiles Domini incādescere vultus,
Cum mala mortales vellent delicta patrare,
Et vidi rursus Domini mansuescere vultus,
Cum magis amplecti bona quæ sunt, quam
mala vellent. (mus,
Sic quoq; si Dominum non ira ardere veli-
Nos bona quæ sunt, & non deteriora se-
quamur, (tum,
Displiceat nobis via cunctis prava sequen-
Nos prece vincamus, nos pugnemusque
precando: (sta:
Vincitur, & vincitur homo multa prece ju-
Vincitur & votis hominum rerumq; Crea-
tor. (stas,
Quare te Deus alme pater, cui summa pote-
Cui mare, cui tellus, cui cælum paret, & æ-
ther, (annus,
Cui rapidus seclorum ordo famulantur, &
Et lux, & positæ spatijs æqualibus horæ,
Te Dominum votis, & corde gemente pre-
camur,
Tu facito ne nos externet buccina cladis,
Et

Et grave concutiens tristis Bellona flagellū,
Ante pedes enses, & fractū spicula nervi,
Atq; tubæ, & litui jaceant, & rupta bipennis:
Candida pax nostros clemēti numine fines
Protegat, & gratam præstet tutamq; quietē:
Regnet & ubertas, simul & bona copia cor-

nu

(gum:

Lætarum pleno promittens munera fru-
Pestem illam atq; luem nostri miserabilis
ævi,

(borat:

Cladem illam vitæ, qua jam miseranda la-
Averte à terris, nostris à mœnibus arce,
Exulet à nobis procul hinc, procul inde re-
mota;

Innocua immensum percurrant murmura
Olympum,

Infons ventorū concursibus intonet æther
Nunc nemora ut resonent, nunc blande
ut littora plangent,

Quo formidandis aura haud infecta venenis
Corporibus noceat, morbi vel semina por-
tet.

(tuere,

Tu porro alme Deus dextra omnipotente
Et terya clari clarissima pectora VARNI,
Docto-

Doctores verbi, Themidos, Sophiæ, & Pa-
naceæ,

Perpetua Præceptores pietate colendos:
Regali Herulidū & longæva stirpe creatos,
Par Fratrum augustum, Dominosq; Duces-
que benignos

Totius Megalespoleos, FRIDERICUM- &
ADOLPHUM,

Et JAN-ALBERTUM, arctōi duo lumina
coeli,


In quibus una Salus patriæ inclinata re-
cumbit: (tum,

Tu quoq; , qui civi dat jus, defende sena-
Illustraq; illum divini flumine flatus,
Ut sibi commissas dextre moderetur habe-
nas.

Tunc diffundemus lætus hæc carmina
linguis:

Laus & honor Domino, sit gratia, gloriaq;
uni

In terra, in cælis seclorum in secula! DIXI.



Huma-



Humanis. & doctissimo Juveni,
HENRICO LEMMICHIO,
civi, & amico:

Hic, ubi pestifera vis ingruit effera tabis,
Et jam proximior, proximiorq; ve-
nit;

Not te **HENRICE** loqui sublimi ex sede videmus,
Et mala tam seva impingere verba Dea.


Hoc pars una probat, pars improbat altera, nempe
Judicio illa suis, judicio ista suo.

Ipsa ego (namq; meo speras ex carmine laudem,
Qui mihi non laudis conscius esse queo)

Pro re pauca loquor verbis, sed plurima voto,
Qua tibi tu longi carminis instar habe:

Optima fecisti, facies etiam optima porro,
Si facies uni facta probata Deo.

JOHANNES WOLPHIUS L.M.Q.
faciebat Rostoch IX VI. KL. Septembr.
anno christiano 13 CXXIV.



Rem gratam peragunt, qui latū tristibus optant,
Ut spem proficuum concipiant animo:

D

Jam

Fam licet hac tota morbi gressentur in urbe,
Ne te discrucient, hac bene LEMMICHUS:
Nam promit medium nigra per carmina pestis
Suspicio, ingenium, Sympatriota, tuum.
Et merito applaudo tibi, carmine carmen adornans,
Qui mox christophilus, mox philiatere ades.
Hoc frueri, hoc queras, ledent nec spicula mortis,
Neu fugies pestem, qui medicamen babes.
Fortuna Boreas insultent auster & omnis,
Hoc duce pretereunt, hoc duce tutus eris.
Quid iuvat? admittas medici medicamina multa,
Auxilium ni dat, fert neq; Christus opem.
Euge tibi hic praesens facias sit tutor, & hospes,
Uttere nec frustra tu medicaminibus.

εὐολος, gratia faciebat

MATTHIAS PECKELIUS

Lub. Phil. & S. S. Theol.

Studiofus.



Dum tua pierijs per spersa liquoribus edis
Lemmichi, & publica carmina luce beas.
Quae mala mortifera pingis contagia pestis,
Non uno serpit quae violenta loco.
Gratulor, atq; altam laudo spirantia mentem
Scripta, atq; argusti scrutinium ingenij.


Quod

*Quod si castalijs mihi pocula plena fluentis
Porrigeret larga Phœbus Apollo manu,
Ipse tuis etiam laudum præconia cœptis
Majora ex animo atq; uberiora darem.
Tu modo perge bonis a vibus, perge omine fausto
Lemnicibi, clarij portio clara chori.
Et quô te virtus, quo te rapit indolis alta
Spiritus, haud segni tramite carpe viam.
Sic te olim auratis extollet Fama quadrigis,
Atq; suâ ponet nomen in æde tuum.
Tu modo ceu quondam vixisti, pergito soli
Vivere virtuti, vivet & illa tibi.
Fiat: (ita ex animo voveo charissime) Fiat,
Et dentur studijs, vivet & illa tibi.*

MARTINUS FLORUS Hofsat:
Bretsted: S. S. Theolog.
Studiosus.



Path. sp. 182.





Et grave concutiens tristis
Ante pedes enses, & fracti
Atq; tubæ, & litui jaceant, &
Candida pax nostros clemē
Protegat, & gratam præstet
Regnet & ubertas, simul &

nu

Lætarum pleno promittet
Pestem illam atq; luem no
ævi,


Cladem illam vitæ, qua ja
Averte à terris, nostris à mo
Exulet à nobis procul hinc,
mota;

Innocua immensum percussit
Olympu

Insonans ventorū concursibus
Nunc nemora ut resonent
ut littora

Quo formidandis aura hauc
Corporibus noceat, morbi
tet.

Tu porro alme Deus dextera
Et terra clari clarissima ped



the scale towards document

agellu,
ervi,
pennis:
e fines
quietē:
ia cor-
(gum:
ra fru-
rabilis
borat:
nda la-
ce,
ade re-
armura
æther
blande
enenis
na por-
tuere,
otente
RNI,
Docto-